

dadurch bei der Entwicklung der Wedel nie einen günstigeren Erfolg erzielt, als bei einzeln stehenden Prothallien. Wogegen durch das Setzen der Prothallien unter Wasser, wenn dieselben das gehörige Alter zur Wedelbildung hatten, oft eine häufigere Wedelbildung erfolgt als bei Prothallien von demselben Alter, bei denen dies Experiment nicht gemacht war, doch ist dies nicht bei allen Species der Fall. Bei *Cybotium Schiedei* und den Cyatheaceen (Baumfarn) ist es mir besonders gelungen. Die Prothallien der Gymnogrammen, *Notochlaena* wollen zur Zeit der Wedelbildung eher weniger feucht gehalten werden, wogegen bei *Ceratopteris thalictroides* Brogn. die Wedelbildung am besten unter Wasser stattfindet. Da man nun die Beobachtung gemacht, dass die Bewegung der Spiralfäden an den Prothallien im Wasser lebhafter ist, so scheint mir der Grund darin zu liegen, dass sich die Prothallien dann in gereizterem Zustande befinden. Ferner dass Spiralfäden an den Prothallien keine Befruchtung ausüben, würde auch daraus zu schliessen sein, dass man dieselben an anderen Pflanzen beobachtet hat, wo sie bestimmt nicht zur Befruchtung vorhanden sind.

Um zu einem sicheren Resultate zu kommen, ob eine Befruchtung der Sporen an den Wedeln vor sich gehe, hätte man die Unterseiten zweier Wedel von Farnn verschiedener Species künstlich so zusammenzubringen, dass sie sich berührten, doch müsste die Fruchtbildung an denselben im jüngsten Zustande sein und die Versuche müssten an solchen Gattungen ausgeführt werden, deren Fructification unbedeckt ist.

Selbst hätte ich schon diese Versuche gemacht, wenn mir nicht nach der Zucht der erwähnten Bastarde die Gelegenheit dazu gefehlt hätte.

Kingston, März 1855. F. F. Stange.

Novitiae florum caboverdicae

Canariarum stirpium ratione habita

sive

Additamenta ad meridionalis Atlantidis accuratius cognoscendam vegetationem, quibus et Europae et Africae geographia botanica Occidentem versus compleatur.

Scriptore Carolo Bolle, M. D.

Filices.

1. *Gymnogramme leptophylla*. Desv.

In convallibus altis humidisque insulae S. Antonii qua parte septentrionem spectat, ad magnae vallis Ri-

beira de Paul fauces „Bordeiras“ dictas, rupibus muscosis innascens, ubi die 16. Nov. 1852 eam detexi. Hic stirpis mediterraneae simulac macaronesicae vel atlanticae terminus tropicalis. Carpsi hanc quoque in Fortunatarum Nivaria prope pagum Tegueste et in eiusdem Barranco del Bufadero, Martio 1852. — R. R. Reg. mont. sup. alt. circiter 5000 ped.

2. *Notochlaena Marantae* R. Br. Webb Spicil. gorgon. p. 194. — Schmidt Beitr. p. 130.

Constabat hanc speciem mediterraneam etiam Gorgadam civem esse et cum multis aliis zonam torridam hic intrare. Locum specialem nemo viderat. Adest in summorum tantum montium jugis plerumque siccissimis quippe quae supra nubes evehuntur, in fertilia montana tamen inter *Euphorbias* arbores interdum quoque descendens. Hic *giganthea*, *sesquipedalis* (*Acrostichon canariense* Hb. Willd. No. 19815, quale mihi in Nivaria occurrerat et major); illic formam vulgarem referens, uti in Tyrolidi australi Germaniae limen ornare solet. Aridissima saxa cineresque vulcanicos non fugit, abunde crescens in ins. S. Nicolai summo monte Gurdo et ad latera ejus hinc inde per totam regionem montanam superiorem. Nec non, et quidem abundantissime, in S. Antonii insula per universum longum illud et altissimum jugum „Cumbre“ incolis dictum, 6000 ped. alt. — Santiago, Bocandé. — Bravae a me non visa. — Haec in Nivaria s. Tenerifa frequens non procul ab urbe S. Crucis ad marginem sylvae lauriferae de Aguirre et in collibus vicinis „del Tajodio“, 1851—52. — Freq.

3. *Adiantum reniforme* L.

Haec Maderae Fortunatarumque stirps insignis mihi primo in Gorgadibus obvia fuit, ubi rarissima videtur, quum unico loco inter rupes arduas umbrosas ins. S. Antonii supra Ribeira de Paul eam reperire mihi contigit. Die 13. Nov. 1852. — Reg. mont. — Per Nivariam hoc innumerum vidi, umbrosa saxa vestientem. Quaeratur ibi in vallibus Tajodio et del Bufadero; secus viam „las Vueltas de Taganana“; nec non in Palma insula.

4. *Adiantum trifidum* Willd. Hb. A. repandum Tausch. A. sp.? Schmidt Beitr. p. 130.

Habitu, statura, frondibus late triangularibus et pinnis profunde trifidis, apice argute unilaterali-serratis primo intuitu a simillimo *A. Capillo Veneris* L. diversum dicas. Filix procera, *sesquipedalis*, illo in Gorgadibus multo rarior. In pinguibus umbrosis ad rivulos ins. S. Nicolai supra aedibus Thomas Pires, nunc cl. Miller hospiti propriis et ad Ribeirae bravae primam cataractam! — In S. Antonii insulae valle Ribeira grande (Schmidt). — Satis. R. Reg. infer. — (Prom. b. spei, Mauritius, Tejas, Nivaria? sec. specimen in Hb. Willd.)

5. *Adiantum lunulatum* Burm. A. arcuatum Sw.

Frequentissimum per totum archipelagi occidentem in regione montana inferiore, in sepibus, ad rupium arborumve radices, in murorum fissuris etc. etc. Pulcherrima filix, viriditate elegantissima, tenera praeter caeteris superbiens; per sicciore menses evanescit, primis pluviis frondes explicat et declivia dense vestit una cum *A. Capillo Gorgonis* Webb. In ins. S. Nicolai,

e qua primum a cl. Miller ad Ill. Hookerum missum erat, ubique provenit; non ante m. Augustum 1851 et tunc quidem in valle „das Queimadas“ a me visum. In ins. S. Antonii frequens, giganteum ex gr. in „Ribeira das Pombas“ vel columbarum convalle. — In ins. S. Jacobi. Bocandé. — In ins. Brava! Decemb. 1852. — St. Vincentii desideratur, quum pro eo siccior et sterilior ista esse videatur. — C. C. (Terrae aequinoctiales fere omnes ab India or. ad Brasiliam et Panamá usque.)

6. *Adiantum caudatum* L. Hook. sp. filic. V. p. 13. *A. Capillus Gorgonis* Wbb. Spic. gorg. p. 192. — Decaisne in Deville voy. géol. etc. aux îles de Ténériffe et de Fogo. — Schmidt Beitr. p. 130. *A. incisum* Forsk. — Ab Ill. Hooker Webbianum *Capillus Gorgonis A. caudato* L. jungitur („is assuredly but a slight variety“). Judice cl. Professore Alexandro Braun idem est ac *A. rhizophyllum* Sw. ex ins. Franciae; sed hoc genuinum glabrum ex Hookero et a caudato segregandum. Ceterum ambo in Mascarenhis adsunt.

Nostrum pinnis plus vel minus incisus, indumento quoque mire variat. Idoneo anni tempore fructificationes non ita raras, ut cl. Schmidt opinatur. Siccis mensibus planta plerumque evanescens. In universis insulis altioribus. — C. C. C. Reg. mont. inf. — (Orbis antiquus aequinoctialis: China, India, Java, Arabia felix, Africa.)

7. *Pteris hastata* Sw. β minor mihi. — *Cheilanthes contracta* Kunze index p. 35.

Hanc detexi m. Augusto 1851 in insulae S. Nicolai regione montana inferiore paullo supra aedibus cl. Rothery, ad latus viae novae (Caminho novo) ubi rara; postea abundantissimam in declivibus valli Frigata impendentibus. M. Novembri 1852 in montibus antoniensibus supra Ribeira de Paul aequae frequentem legi. Solum siccum et saxosum diligit. — S. R. (Prom. b. spei.)

8. *Pteris aquilina* L. var. laciniis latioribus subtus lanuginosis. — *Pteris?* Schmidt Beitr. p. 131. — *Pt. latiuscula* Desv. prodr. p. 303. *Pt. lanuginosa* Spreng. nec. Bory.

Vegetat frequens in planitie alta graminosa pagi Caxaço ins. S. Nicolai, ad radices montis Centinho inter Cannas laete virentes. Frondes juniores m. Octobri 1851 legi. Regionis montanae antoniensis incola quoque est, quibus ex locis cl. Schmidt sine nomine eam commemorat. Novembri 1852 supra Paul! — S. C. Reg. mont. — (Species ipsa per totum fere orbem sparsa; varietatum sedes exactius inquirendae). — In Fortunatis *Pt. aquilina* nimis frequens cultorum pestis; per Palmam et Gomeram pauperibus rusticis panem nigerrimum e radicibus confectum (pan de helecho) jam antiquitus et nunc praebet.

9. *Pteris ensifolia* Desf. atl. 2, p. 401. — Spic. gorg. p. 192. Dec. in Dev. voy. Schmidt Beitr. p. 131. „Rabo de gallo“ Caboverdensium.

Haec, quae ad rivos scaturiginesque Gorgadum in

demissioribus calidis umbrosis ubique nascitur et ne sicciore quidem insulas, St. Vincentii ex gr. fugit, ubi circa fonticulum unicum in montis viridis ascensu viget, variis formis ibi ludere consuevit. Occurrunt varietates:

1. Forma pinnarum basi simpliciter auriculata Santiago (Bocandé) et alibi in plurimis insulis a me inventa.
2. Forma pinnis basi inaequaliter cordatis, minute cartilagineo-dentatis, rachiglabra (var. α Agardh. recens gen. Pterid. p. 2) *Pt. costata* Bory mss. et in Belanger voy. p. 42. — Willd. sp. pl. V. p. 367. — Ad rivum Ribeirae bravae ins. S. Nicolai abunde!
3. Forma pinnis basi auriculato-hastatis (var. ζ Ag. rec. Pter. p. 3). — Hanc hucusque e Madagascar tantum notam in S. Vincentii insula, omnium varietatum caboverdicarum facile rarissimam legi m. Junio 1851 initio herborisationum mearum in Archipelago. — C. C. C. Reg. inf. (Terrae intertropicales, Canar., Hisp. merid., Sicilia, Ischia.)

Pteris ensifolia, tam frequens in Gorgadibus, multo rarior est in Fortunatis, ubi in Palmae insulae cratere ingenti Caldera dicto et in ejusdem exitu Barranco de las Angustias m. Septembri 1852 eam vidi.

10. *Asplenium Trichomanes* L.

Primus inveni in ins. S. Antonii „Cumbre“ altissima simulac in faucibus „Bordeiras“ cum nostro europaeo omnino convenientem. Hic terminus speciei quae inde a Lapponia per universam Europam ultra circulum tropicum hucusque protenditur. Crescit in Gorgade unica, maxime septentrionali, ad rupes et humentes et sicciore alt. 5—6000 pedum. — R. — Rarum quoque in Nivaria (Guimar!); vulgatum in Palmae saltibus, ubi saepe permagnum, *A. ancipitem* Sol. quasi imitatum, evadit. (Monte grande! Cubo de la Galga! Caldeira!)

11. *Nephrolepis tuberosa* Klotzsch.

Hujus filicis jam b. Webbius in Spicilegia sua gorgonica, opere praestantissimo, mentionem facit, quippe qui ejusdem specimina incompleta et hac ob re non bene determinanda in Musei tum regii nunc imperialis Parisiensis collectione caboverdica primi imperii tempore inter arma e Lusitania allata, inspexerat. Cl. J. A. Schmidt dubiam civem silentio praeteriit. Hanc alit S. Nicolai insula magna copia ad aquarum stillicidia et in humo pingui montano Euphorbetorum ex gr. loco dicto Centinho, ubi cum amicissimo, nunc eheu! dira morte abrepto Keppell Foote, Britanno, in saxis abruptis madentibus siccissimis anni temporibus laete vegetantem primum contemplavi (m. Julio 1851); in montibus summo „Gurdo“ vicinis mox post pluvia ubique apparet; pr. cacumen Pico do Mancebo; in monte Caramujo; innumeris denique locis regionis montanae, nunquam cum rivulis in demissa descendens. Nec minus mihi obvia fuit in S. Antonii locis analogis, in superiore valle Ribeira de Paul bipedalis et ultra et hac ob re saepe procumbens in magnitudinem ante a me non visam excrescens, ita ut diversam speciem quasi simularet. Ne fugit ultimos quidem archipelagi fines, quum inter Bravae stirpes a me observata sit. — C. Reg. mont. (Ins. Mascarenh.).

12. *Nephrolepis undulata* J. Smith. *Aspidi-*

um undulatum Sw. Humata falcata Cavan. hort. reg. Matrit I. tab. quoad figuram.

Existit in collectione b. Bocandéi, quae nunc cum reliquis Webbianis Florentiae asservatur, cum caeteris plantis verosimiliter in S. Jacobi insula lecta. Specimina mea exacte cum genuinis sierra-leonensibus, quarum inspectionem benignitati cl. Alexandri Braun in herbario suo debeo, conveniunt. — ? — (Guinea.)

13. *Nephrodium eriocarpum* Decaisne in Dev. voy. *Cystopteris odorata* Presl. tent. p. 93. Webb spic. gorg. p. 192. Schmidt Beitr. p. 132. *Hypodematum Rüppelianum* Kunze (Schimper it. abyss. No. 1891.) *H. onustum* Kunze ex Decaisne *Aspidium eriocarpum* et *fimbriatum* Wallich. *A. odoratum* Bory in Hb. Willd. Incolis (Bravae): „Feital“ dictum.

Synonymiam hujus plantae satis complicatam modo explanare voluimus. Ipsa pro flora nostra minime nova, quamvis, quod miramur, a cl. Schmidtio non observata sit. Nascitur enim in rupibus apricis aridis regionis calidae omnium fere insularum et sola inter filices ab aqua remotas, cormi paleis pulchre aureo-nitentibus azoricam et maderensem Dicksoniam Culcitam L'Herit referentibus summopere spectabilis, omnes annuas permutationes et siccissimas perdurat. — C. C. Reg. infer. et montana inf. (Arab. Abyss. Ins. Mascarenh. Ind. or.).

14. *Aspidium Grunowii* mihi n. sp.

Frondebis subcoriaceis, bipinnatifidis; pinnis linearilanceolatis, apicem versus confluentibus, acuminatis, laciniis integris multinerviis subtus margineque paleaceo-hirtis; rachinuda; soris parvis, marginalibus vel mediis inter costam lacinaeque marginem positis; indusiis late-reniformibus, glabris. — Cormus . . . Frons sesquipedalis, oblongo-triangularis, basi circiter 6 pollices lata, superne subangustata apice acuminata, pinnae 24, inferiores magis remotae in apicem acutum confluentes, ipsae acuminatae, alternae, 9 lineas circiter latae; lacinae oblongae, apice inaequales, brevissime mucronatae, integrae, venis numerosis, 15—18, quarum infimae tantum utrinque in arcum anastomosant, utrinque praeditae, apicem versus acutum confluentes. Sori marginales vel paullulum remotiores, interdum contigui, minimi; indusia distincta, late-reniformia, glabra. — Hanc speciem generis *Aspidii* sectioni *Nephrodio* sensu Michauxii et Roberti Brown propter indusii fabricam adnumerandam esse et quidem illi ejusdem coetui qui venis infimis anastomosantibus distinguitur, a viris celeberrimis Schottio et Preslio (tent. pterid.) pro genere vero *Nephrodio* sumto, omnino patet. Nostrum praeter caeteris laciniarum venis numerosis excellit, 15—18 earum ostendens, quum non dissimili *Nephrodio* caudiculato Presl. 7—8 tantum attribuuntur. *Aspidium Benoitianum* Gaudich. (Freycinet. atl. pl. 2250) propinquum quoque, sed praetermissis praetermittendis iam summa fronde protracta primo intuitu diversum nec ullo modo permutabile. — Locus specialis ignotus, quum planta, ut omnia Bocandeanae ab inventore sine schedula missa sit. Certe e provincia caboverdiana oriunda, pro insulae S. Jacobi, Bocandéi sede, cive maxima cum pro-

habilitate aestimetur. Cui in honorem cl. Alberti Grunow, Berolinensis, communi patria communibusque de re herbaria studiis olim nobis coniunctissimi, quem nunc in Austria degentem Lares et amici desiderant, grato animo nomen imponere voluimus. Placeat marchicae florum indefesso perscrutatori e sermo africano spoliis nunc suum, continuetque, non immemor nostri, botanophilus.

15. *Aspidium violascens* Link. *Nephrodium unitum* Dec. in Dev. voy.

Haec species, valde communis in umbrosis regionis calidae insularum ad rivulos praecipue, ut a permultis auctoribus minus bene interpretatur, ita a clarissimis floristis Webbio et Schmidtio sub *A. mollis* nomine describitur. Verum autem Swartzii molle esse non potest, quum *A. violascens*, *Nephrodium molle* Presl. nec Swartz sec. Link, Kunze et Alexandrum Braun, anastomosi duorum nervorum secundariorum infimorum agnoscitur, dum Swartzii genuinum molle ex Antillis hac anastomosi carere fertur. — In Canariis ipsum *Aspidium violascens* in ins. Palma prope urbis aquaeductum et alibi satis frequens inveni. — (Canar. Mader. Ins. Accipitr.)

16. *Aspidium (Nephrodium) canariense* Al. Br. Flora 1841. p. 708, nec Willd. Hb. *A. elongatum* Spic. gorg. p. 194. Schmidt Beitr. p. 132.

Hoc nomine, annuente ipso cl. Braunio, filicem saluto, quam b. Forbes primus in S. Nicolai insula detexit, *A. elongatum* Sw. ex parte, herbarii Webbiani, Lowei, spicilegiae gorgonicae; dum hodie speciei Aitoni, Hookeri et Grevillei nomen „*elongatum*“ manet (— *A. affine* Lowe). Crescit in montis Gurdo faucibus, unico loco, 4000 ped. alt., m. Julio 1851 primum a me invento. Neque S. Antonii montes altiores qui Ribeiram de Paul claudunt, deficit (!) — R. Reg. mont. (Madera. Canar.). — *Aspidium canariense* Willd. Hb. No. 19815, statione in Fortunatis incognita, silentio transitum in clarissimorum virorum Webb et Berthelot opere splendidissimo, an sit vere e Canariis ortum, dubia res. — In Herb. Willdenowiano ita describitur: Frondebis bipinnatis, pinnis alternis, pinnulis alternis decurrentibus obovatis, duplicato-dentatis. Desfontaines.

17. *Davallia canariensis* Sm.

In insulis altioribus tantum, quae Occidentem Boreamque spectant. Nihil frequentius in rupibus umbrosis ins. S. Nicolai et S. Antonii, ubi tamen arborum cortici, ut in Fortunatis, insedentem nusquam vidi, fortasse quia trunci ingentes in regione montana, sede sua, hic non apparent. In temperatiore S. Antonii convalle Paul magis quam in vicina S. Nicolai saltuum radices petit. — Hanc *Davalliam* in archipelago, cuius nomen fert, semel etiam in Euphorbiae canariensis ramis una cum *Aeonio Lindleyi* crescentem, alias in Phoenice dactylifera observavi. Sylvarum ibi sempervirentium in Nivaria Palmaque insulis egregium ornamentum, laurorum truncos frondibus antiquos mire condecorat. — C. Reg. mont. (Hispan. baet. Mader. Canar.)

18. *Ophioglossum lusitanicum* L.

In insulae S. Nicolai montis Gurdo cacumine summo ad 5000 pedum alt. specimina pro exiguitate plantae proceram abunde ad Euphorbiarum Tuckeyanarum Odontospermorumque Smithii radices, ubi *Ophioglossum* re-

ticulatum L. jam valde rarescebat, vegetantia vidi. Hoc praemium laboris quum m. Octobri 1851 comite beato Keppell Foote repetito itinere excelsum montem adscendissem, tantae terrae tantique Oceani spectaculo cum amico gavisurus. — R. R. Reg. mont. sup. — (Mediterran. Canar. Guimar! Barranco seco ubi semita ad vallem Tajodio ducit!)

19. *Ophioglossum polyphyllum* Al. Br. in litteris ad cl. Hochst. Seubert fl. azor. Schimp. unio itin. 1837 No. 984. pl. Arab. fel. (Djedda). — *O. arabicum* Ehrenb. Herb. mss.

Paucis huius stationibus notis nova in Gorgadibus addatur. In scopulis maritimis calidissimis et sole ustis littoris meridionalis ins. S. Antonii (Costa do Sul) inter *Frankenias* crescentem, loco dicto „Pixino,“ ubi e S. Vincentii insula advectus eram, die nono m. Novemb. 1852 primus reperi. — R. R. Reg. litor. (Arab. ins. Accipitr.)

Summa Caboverdiae filicum:

Equisetum pallidum Bory.

Gymnogramme leptophylla Desv.

Notochlaena Marantae R. Br. *N. lanuginosa* Desv.

Adiantum Capillus Veneris L. *A. trifidum* Willd.

A. lunulatum Burm. *A. caudatum* L. *A. reniforme* L.

Pteris hastata Sw. *Pt. aquilina* L. *Pt. ensifolia* Desf.

Asplenium Trichomanes L. *A. palmatum* Lamck.

A. canariense Willd. *A. polydactylon* Wbb.

Nephrolepis tuberosa Klotzsch. *N. undulata* J. Sm.

Nephrodium eriocarpum Dec.

Aspidium Grunowii C. Bolle. *A. violascens* Lk.

A. canariense Al. Br.

Davallia canariensis Sm.

Ophioglossum reticulatum L. *O. lusitanicum* L.

O. polyphyllum Al. Br.

26 species.

Zeitung.

Grossbritannien.

London, 10. Mai. Nachrichten von Jamaica melden, dass in dem Landtage der Vorschlag gemacht worden ist, den dortigen botanischen Garten eingehen zu lassen, weil die Kosten zu gross sind, um von der täglich ärmer werdenden Insel noch länger getragen zu werden. Hr. Wilson, der Vorstand des Gartens, schildert den Zustand Jamaicas als höchst trauriger Art. Die meisten Pflanzungen haben aus Mangel an Arbeitskräften — freie Neger und Zambos arbeiten bekanntlich wenig oder gar nicht

— aufgegeben werden müssen und sind von einer üppigen Tropenvegetation rasch wieder in Wildnisse umgewandelt.

Dr. Barth und Dr. Vogel, die afrikanischen Reisenden, haben sich in Bundi, einer kleinen Stadt in der Nähe Kukas, getroffen. Barth wird sogleich nach Europa zurückkehren, Vogel gedenkt jedoch weiter nach Yacoba und Adamaua vorzudringen.

Am 27. April starb zu Beccles in Suffolk Dr. Martin Barry im Alter von 53 Jahren. Er war als Physiologe bekannt und beschäftigte sich zuletzt besonders mit Embryologie und Untersuchungen über Pflanzen- und Thierfasern.

Im Garten zu Syon hat der Mangootien-Baum (*Garcinia Mangostana*, Linn.) reife und sehr wohlschmeckende Früchte producirt, was, da dieser Baum nur in sehr wenigen Theilen des warmen Asiens gedeiht, mit Recht für einen grossen Triumph der Gärtnerkunst angesehen wird. Tafel 4847 des botan. Mag. bringt eine Abbildung der Pflanze.

Es sind hier kürzlich zwei Werke über Moose erschienen, das eine heisst *A Popular History of British Mosses* (Verfasser R. M. Stark), das andere *Bryologia Britannica; containing the Mosses of Great Britain and Ireland* (Verfasser W. Wilson). Von Asa Gray ist in den Memoiren der Amerikanischen Akademie veröffentlicht: „*Plantae Novae Thurberianae*,“ enthaltend Beschreibungen von Pflanzen, in Neu-Mexiko und Sonora gesammelt. Die Abhandlung ist auch als Separat-Abdruck hier im Umlauf. Von Griffith's nachgelassenen Werken sind wieder zwei Bände (Quart) erschienen. Leider strotzen dieselben von Druckfehlern wie die übrigen Bände.

Briefkasten.

Eingelaufene Schriften. *The Ferns of Great Britain and Ireland*, by Thomas Moore, Part. II.; *Gelehrte Anzeigen der k. bayerischen Akademie der Wissenschaften*, II., Nr. 3, 4, 5 u. 6. (Zweites Exemplar!)

Verantwortlicher Redacteur: Wilhelm E. G. Seemann.

ANZEIGER.

In Folge einer **Wohnungs-Veränderung** ist meine Adresse fortan:

Dr. Seemann.

9, Canonbury Lane,
Islington, London.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Bonplandia - Zeitschrift für die gesamte Botanik](#)

Jahr/Year: 1855

Band/Volume: [3](#)

Autor(en)/Author(s): unbekannt

Artikel/Article: [Novitiae florum caboverdicae 121-124](#)